


**05  
A  
297**



I. N. f.  
DISPUTATIO THEOLOGICA PASSIONALIS  
IN HISTORIAM PASSIONIS DOMI-  
NICÆ SECUNDUN EVANGELISTAM  
**M A T T H Æ U M,**

EX CAP. XXVI. vers. 51-56.

*Quam*  
**Sub PRÆSIDIO**

VIRI

*Maximè Reverendi, Amplissimi atq; Excellentissimi,*

**DN.JOHANNIS Deutschmann/  
S.S. Theol. Doct. & P.P. longè Cele-**

berrimi, ut & Alumnorum Electoralium

Ephori gravissimi,

**DNI. PRÆCEPTORIS, PATRONI, ET PROMO-**

*TORIS sui, iugi pietatis, observantiaz, atq; obseqvii  
cultu æternùm venerandi,*

*Publico Eruditorum Examini sistit*

**M. BALTHASAR KRÆTSHMAR,**

Zvvencâ-Mish: Sereniss. Elect. Sax. alumnus.

*Prid. Nonas Aprilis in Auditorio Majori.*

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS BORCKARDI, Acad. Typogr.

Anno 1669.



PROTO-SYNETRII ELECTORALIS  
SAXONICI  
PRÆSIDI EMINENTISSIMO  
PRÆILLUSTRI AC GENEROSISSIMO DOMINO  
**DOMINO CAROLO**

LIBERO BARONI à Friesen/

Dynastæ in Rothau & Cotta &c.

Serenissimi ac Potentissimi Elect. Saxon. Comiti  
& Consiliario intimo,

**DOMINO** meo Gratiostissimo

cæterisq;

Assessoribns splendidissimis,

V I R I S

Maximè Reverendis, Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimisq;

**DNO. MARTINO GEIERO,**

THEOLOGO DOCTORI Consummatissimo, Sereniss. Elect. Sa-  
xon. à Confessionibus Sacris, Concionibus Aulicis primatis,  
& Consiliis Ecclesiasticis,

**DNO. CHRISTOPHORO BULÆO,**

DOCTORITHEOLOGO Celeberrimo, Ecclesiæ Dresdensis & vicina-  
rum Superintendenti vigilantissimo,

**DN. GODOFREDO BERINGERI**

**DN. JOHANNI FRIDERICO HEIGIO,**

U. J. Doctoribus famigeratissimis,

**DOMINIS PATRONIS, PROMOTORIBUS ET EVERGETIS SUIS**

*eternum venerandis*

Primitias has passionales humiliè offert

RESPONDENS.



HOMILIÆ PASSIONALES  
HOMILIA XI. PASSIONALIS ex Matt. XXVI.

v. 51 54.

DE INTEMPESTIVA CHRISTI  
DEFENSIONE.

**P**rel. ex I. Sam. XXVI. 8. 9. ubi legimus, quod *David* inno-  
cens *Saulem*, infensissimum hostem & persecutorem suum,  
ab *Abisai* & aliorum sociorum manibus, defenderit: ita  
*cælestis David* hostes suos infensissimos contra *Petri*, aliorumq;  
discipulorum percussonem defenderit: & ut *in tempestiva* satis  
erat *Abisai* contra *Saulem* intentio, quem inermem occidere  
volebat: ita maxime *in tempestiva* *Petri* fuerat offensio, quâ  
*Malchus* citra dubium non adeo armatum percutiebat, &  
Christum defendere studebat: ut *David* promptus erat ad pas-  
sionem futuram à *Saule* suscipiendam, neq; morte *Saulis* eam  
impedire volebat, sed omnia Domino committebat: ita *cæle-  
stis David* promptus erat ad patiendum, & omnem *in tempestivā*  
defensionem reprehendebat, sicut *Mattheus* ostentit h. l. ex  
quo de *In tempestiva Christi defensione*, pauca dicemus.

Exord. Ex Deut: XXXII. 35. ubi divinum oraculum, ma-  
jestate plenissimum, invenitur, quod à Paulo repetitur Rom. XII.  
19. *Mea vindicta, & ego retribuam*, dicit Dominus. His ver-  
bis jus verum, majestate plenum, soliq; Deo proprium descri-  
bit, quod *Jus Vindictæ*, vel *Ultionis*, appellatur. Proponitur au-  
tem in allegatis verbis (1) *Juris Vindictæ competentia*, cui ni-  
mirum *jus vindictæ* conveniat, *Mibi vindicta*, verba sunt ipsi-  
us DEI. Non unum saltem injuriarum genus inter homines  
regnat, unde tot bella, concertationes, vel alia incommoda  
progrediuntur, qvibus alter alteri nocere solet, & sic nullus  
datut injuriarum numerus. Homines autem vindictæ cupi-  
dissimi sunt, autoritatemq; suam vindicare student, imò dici-  
tur vulgato versiculo: *Est vindicta bonum, vita jucundius ipsa:*  
*sed Dominus*, qui solus res omnes humanas administrat, hoc

A

severe



## HOMILIÆ PASSIONALES.

Severe præcepit, ne vindictam nosmetipſi, vel ſuſcipiamus, vel exerceamus, cum vindicta ſit jus divinæ Majestatis, ſit reſeratum aliquod DEI, qvod omnes illi laedunt, Deiq; coronam & ſceptrum tangunt, qui cupiditate vindictæ ſemetipſos ulcifuntur. Nā Dominus eſt vindex Nahum. i. 2. hinc etiam apud Moſen in Veteri, & apud Paulum in Novo Testamento clarissimis ver-

**Juris vindictæ** ius majestaticum vindictæ ſibi refervavit. (2) Juris vindictæ eſt dicit eſt Ef- ſentiam, quæ per descriptionem illuſtratur, qvando dicitur; ſentia. Ego retribuam, q. d. Ego ſum vindex, non tu, non aliw. Utitur equidem Deus ſuis interdum instrumentis, nobis non obſer- vantibus, ſed vindictam in his divinam agnoscere debemus: imò Dominus interdum permittit, ut Diabolus per homines malos variis ſceleribus vindictam exerceat, quæ vindicta li- cet quoad aetum DEI non ſit, cum Deus non velit iniqutatem Psal. V. 5. tamen, quoad terminum & divinum promiſionis ſco- pum, hanc vindictam ſibi Dominus imputat Conf. II. ſam XII. feqq. ubi Dominus per Nathanem Davidi vindictam prænunciavit, ſed Diabolo post furorem ſuum justis de cauſis per- misit, qvi per Absolonem filium rebellem, & per Amnon incē- ſtuosos varia mala Davidi ſceleratus intulit. Dicit autem; ſe re- tributurum, qvia peccamus ipſi Domino, quando proximum laedimus, cum proximi dilectionem ſeptem præceptis Deus ipſe nobis præſcripſerit, & ſic etiam transgressionum adverſus illa

**Juris vin- præcepta commiſſarum ultor** existit. (3.) Juris vindictæ axio- dicit eſt ex- ma, vel excellentia, dicit Dominus. Dicere Dei eſt facere, & cellentia. dictum DEI mandatum eſt, autoritate plenum, unde his verbis nobis præcipit, ne faciles ſimus ad vindictam, ne mullo pacto manus noſtras in ius divinæ majestatis immittamus. Ignis eſt Deus consumens, & manus, ac alia membra juris hujuſ contem- toribus & violatoribus comburit. Considerathoc Salvator, noster captivus, ideo graviter Petrinam vindictam, ipsa reſtru- straneam & stramineam, reprehendit, uſumq; gladii non eſſe proprio motu, vel aiuſu ſumendum, ostendit, & talem intempe- ſitivam defensionem magis inutilem, quam utilem, imò noxiā eſſe.



## HOMILIÆ PASSIONALES.

esse. Nos igitur ex Mattheo nunc Intempestivam Christi de- Intempe-  
fensionem notare debemus, quia proponit (I)Historicam Intem- stiva Chri-  
pestivæ defensionis Descriptionem v. 51. (II.)Majesticam intempe- sti defen-  
stivæ defensionis reprobationem v. 52. (III) Apodicticam intem- sto.  
pestivæ defensionis Demonstrationem v. 53. 54.

### I. Intemo

Tract. Quod primum concernit membrum, illud Histori pestivæ de-  
cam Intempestivæ defensionis descriptionem ex v. 51. complectitur: fensionis  
Et ecce Unus ex his, qui erant cum Iesu, extendens manum, ex descrip-  
mit gladium suum, & percutiens servum principis Sacerdotum, am 1. Descri-  
putavit auriculam ejus: quibus exponitur (1) Descriptio intempe- pto intem-  
stivi defensoris, qui rem hanc aggreditur, & dicitur Unus ex his, pestivæ de-  
quierant cum Iesu: fuerant autem cum Iesu adhuc undecim defensoris.  
scipuli, qui post Iudeæ secessionē, cum Christo Domino, Deo gra-  
tias egerunt, & post hymnum dictum ejus ad passionem comi-  
tes fuerunt v. 30. & seqq. Hi cum vidissent, quod turbæ nunc  
ad capiendum Dominum venirent, & manus violentas in ipsum  
conjicerent, interrogarunt eum, teste Luca XXII. 46. Domine,  
peccuti emus ne gladio? sibi revocantes in memoriam illud  
Christi apud Lucam v. 36. de comparandis gladiis: sed unus ex il-  
lis, Johannes dicit, hunc Petrum fuisse, ex intempestivo Zelo  
& carnali affectu non expectat Domini responsum, sed rem  
omnem gladio suo committit. Et hoc admiratione dignum,  
quod unus è Christi discipulis, ex Apostolorum cætu, non du-  
bitet gladium sumere, hinc Evangelista dicit admirabundus:  
Et Ecce: q. d. Ecce Petrus ille, qui postea solius, & quidem  
unius ancillæ voce perterrefactus, hoc loco contra militum  
cohortem integrum surgit. Fecit autem hoc Petrus non ex for-  
titudine, sed ex temeritate. Viderat enim Christum uno ver-  
bo totam cohortem, & omnem turbam in terram prostravisse,  
ideo, qva turgebat, præsumtione solita datam occasionem neu- 2. Descrip-  
tiqvam dimittere, reliqvis palmam eripere, & opem Christo tio in tem-  
ferre misellus defensor voluit. (2) Descriptio intempestivæ defen- pestivæ de-  
fensionis, qvia Petrus extendit manum, exemit gladium suum, & tensionis,  
percussit servum principis Sacerdotum, copiosis verbis Spiritus  
Sanctus hunc actum describit, quo declaratur, Petrum non ex

## HOMILIAE PASSIONALES.

Simplicitate, neq; præ Christi amore facinus hoc commisisse, sed uera πολλής Φαντασίας & φιλαυτίας in honorē sui & certissimam præ reliquis prærogativam, ut sperabat, hoc δηβαλλον μέρε Θ Christi miraculoſo & omnipotenti verbo adjicere voluisse. Judicabat enim per Christi verbum omnipotens in terram prostratos Job. XIIII. 6: vel prorsus non, aut difficulter admodum resurrectos, vel de novo Christum eos dejeceturum, quo facto magnam ipse laudem sit reportaturus. At gravem incurrit reprehensionem hic non conductus, nec vocatus promachus, qvi Christus in miraculis suis neq; vulti neq; potest habere locum, ut Mariæ quoq; docet exemplum Job.

*3. Descri- II. 4. (3) Descriptio vulnerationis; amputavit auriculam ejus, ni-  
ptio vulne- mirum servi, qvi dicebatur Malchus Job. XIIII. 20. Johannes  
rationis.*

*& Lucas addunt, qvod dextram auriculam amputaverit. Egre-  
gium certe facinus, qvæ servo, si traditionibus & picturis ali-  
qva fides habenda, penitus inermi, laternamq; gestanti, auriculam amputavit, Christum verò capientes lictores & milites  
missos fecit. Talia sunt humanæ audaciæ consilia & facino-  
ra; ubi subsidio magis opus est, ibi nihil virium comparet: sed  
à quo nihil periculi, nihil timoris, in eo oppugnando huma-  
na se temeritas exerceat. Gravem propterea censuram temeris-  
tatis & audaciæ mox ab ipso Domino Petrus accepit. Hinc le-  
quitur:*

*II. Maje- II. Majestatice defensionis intempestivæ reprobatio v. 52. iii  
stica de- qvo proponuntur (1) Majestatice reprobationis principium, Tu-  
fessionis nis illi JESUS: ictum Petri statim excipit verbum Domini, qvia  
intempe- Christus objurgabat eum, qvod ad feliciorum discipulorum  
stivæ re- interrogationem (apud Lucam XXII. 49. Domine si percutiemus  
probatio. gladio?) non expectasset Praeceptoris informationem, qvod os  
i. Majest. stentatione penitus vana servum percussisset, qvo inermem  
reprob. magis ignominiose, quam gloriose, si carnaliter sapere velit;  
principiū. vulnerasset, quod miraculo Domini neq; vocatus, neq; rogatus,  
sed ex presumtione carnali turgidus, ictum suum conjunxit;*

*Unde turbis etiam Dominus suam displicentiam probavit, &*

*novo*

## HOMILIAE PASSIONALES

Nōvō miraculo servum sanavit, ut ostenderet sibi potentiam  
nec in captivitate nunc imminutam, sed ex omni parte mansis. 2. Majes-  
te integrum. (2) Majestatica reprobationis argumentum : Constat repre-  
perte gladium tuum in locum suum. Verba mandati sunt, qvi h[ab]ent. ar-  
bus Petrum adstringit, ut gladium suum impotentem in locum gumentū.  
Iu[m] , h. e. vaginam, recondat, se nām q[uod] nullius talis auxiliū. 3. Majest-  
vani, vel impotentis indigere: hic enim non armis corporalib[us], reprob-  
bed spiritualibus opus esse, cum ipse iubens hanc passionem fionis fun-  
aggrederetur, adeoq[ue] nec per se, nec per discipulos, nec per damentū.  
aliros, hostibus resistere velle. (3.) Majestaticē reprobationis fun-  
damentum, omnes enim qvi gladium acceperint, gladio per-  
ibunt. B. Lutberi glossa sonat ita: das Schwerdt nehmen / die  
es ohn ordentliche Gewalt brauchen: qualis erat hic Petrus, qvi  
nullam habebat gladii potestatem, nec Christo patrocinium e-  
ius, vel defensio placebat: unde Petrum Christus monere vo-  
luit, ne gladii potestate sic abuteretur, cum primis, qvia gravis-  
sima subjicitur comminatio, qvod gladio sint perituri, qvicunq[ue]  
sic propria vel autoritate, vel potestate gladium sint acce-  
pturi.

III. Apodictica defensionis intempestivae demonstratio v. 53. III. Apodi-  
54. Qvod autem hæc defensio fuerit intempestiva, triplici cœta de-  
Christus probat argūmento (1.) à Cœlestis Patris auxilio, an pu- fensionis  
ras, inquit Christus, qvia non possum modo rogare Patrem, ni intempe-  
mirūm ut mihi sit auxilio: Deum dicit Patrem, omnipotentem stivæ de-  
probat sibi jure paternitatis conjunctum, & ad preces filii o- monstra-  
mni suo auxilio affuturum demonstrat, sed hanc esse volunta-  
tem cœlestis Patris, ut calicem hunc captivitatis, passionis, 1. à cœlestis  
crucifixionis & mortis bibat, teste Johanne v. ii. indicat dicens Patris au-  
Petro: Mitte gladium tuum in vaginam; calitem, qvem dedit mi- xilio.  
hi Pater, non vis ut bibam illum? Talem igitur defensionem fru- 2. à cœlestis  
straneam & intempestivam esse notat. (2) à cœlestis exercitus præo exercitus  
sidio, quia mihi Pater exhibebit plusquam duodecim legiones An- præsideo  
gelorum, h.e. innumerabiles angelos, potentissimos spiritus mi-  
hi mittet in subsidium, ut mihi defensionem præstent, quid  
autem

## HOMILIÆ PASSIONALES.

*à cœlestis  
consilii  
proprio.*

autem tua defensio, vel in unius angeli proportione sit, facile cuilibet appareret: nihil autem esset, si tot legiones robustissimorum istorum defensorum mihi præsto essent. (3) *à cœlestis consilii proprio*, v. 54. quomodo autem implebuntur Scripturæ, qvia sic oportet fieri, siqvidem & divinitus ab æterno decreta sunt, & in scripturis toties prænunciata, ac variis typis præfigurata, ideo tum tua, tam aliorum intempestivorum defensorum vel industria, vel vigilancia frustranea penitus, nec ullum liberationis eventum, vel fructum afferre potest.

### *Note Didacticæ,*

*Zelus sine scientia.* 1. *Zelus sine scientia* peccat (1) in Zelotem, quem ex incogitantia scientia commovet, ut subito faciat, cuius postea pænitere necessum habeat, cum primis, qvia reprehensionem mox audire necessum habet, vel ad minimum eadem dignus est. (2) in actionem, quam sine prudentia, sine deliberatione, & debita directione protrudit, & multis modis disformem reddit, ita, ut Zelotes plerumq; præ furore non attendat, qvid agat. (3) in finem, qvia nec pietatis, nec honestatis rationem Zelotes habet, modo bilem Zeli statim emittere queat, quemadmodum hæc omnia docet Exemplum Petri.

*Zelus indiscretus  
Domino non est  
gratus.*

2. *Zelus indiscretus Domino* minime placet, unde *Spiritus S. h. l.* Zelotem istum ne qvidem dignum judicavit, qui nomine proprio significaretur, *Christus* grayiter Zelum hunc indiscretum redarguit, & *DEI Patris* iram & vindictam eidem annunciat, nisi de tali Zelo indiscreto desisteret, in divina voluntate Patris acqvesceret, eiq; vindictam omnem committeret.

*Privata vindicta.*

3. *Privata vindicta* (1) nullius est autoritatis, qvia nemo sui ipsius judex ac index esse debet (2) nullius potestatis, qvia tantum est gladii sumtio, non autem gladii possessio, vel divina concessio. (3) nullius utilitatis, qvia Deus privata vindicta violenter oppressis adversus ultores ejusmodi fert auxilium, sicut h. l. *Christus* amputatam auriculam *Malcho* restituit. (4) nullius

## HOMILIÆ PASSIONALES

nullius jucunditatis, qvia licet aliquid jucunditatis in primo statim impetu habere videatur, mox tamen post se variam trahit molestiam nimis superiorum censuram, sicut h. l. Christus Petrum objurgavit, divinam pñnam, qvia, qui gladium sumit, gladio perire consuevit, & multiplicem ignominiam.

4. De Pena Talionis sonat oraculum: *Qui gladium sumit, Pena Talionis.*

5. Preces sunt optimum in periculis præsidium, qvia post se trahunt angelorum sodalitum, ministerium & fortalitium.

6. Magnam esse multitudinem Angelorum, qvia Christus statim plures, quam duodecim legiones ipsorum sibi promittere potuit.

### Notæ Elencticæ.

1. Qvod hic locus v. 51. ex judicio Petri non aduersetur *Luc. xxii. 56.* *Luc. XXII. 56.* seqq. qvia Christus jussit gladium parare, non usurpare, ut gladios haberent, non ut autoritate propria, gladii jus exercerent, non in vindicta private documentum, sed in patientiæ majoris argumentum: nam majoris est patientiæ, si quis injurias armatus non ulciscatur, quam si quis eas inermis patiatur. Sic igitur Christus armorum apparatu patientiam discipulorum probare, non autem usu gladii ad vindictam privatam exercendam eos armare voluit.

2. Uſus gladii divinitus magistratibus concessus aduersus *A. Usus gla- dii.* habaptistas, unde non patrocinatur illis hic locus: *Qui gladium sumit, gladio peribit,* quia Christus loquitur de sumptione non licita, sed illicita, non divinitus concessa, sed humanitus tentata, non publica, sed privata, non ex officio, sed ex vito, non Magistratus, sed Petri, vel alias cujusdam privati.

3. Nec Petro, nec Pontifici Romano, quatenus *P. R. non Petri suc- ceſſor esse* cupit, gladii potestatem, vel uſum convenire, cum h. I. Petrus graviter à Christo sit reprehensus, qvod contra *Papi- gladii. ftas observandum.*

Note

## HOMILIÆ PASSIONALIS.

### Notæ paræneticæ.

Zelus in-  
tempsti-  
pus.

Auribus  
recte utē-  
dum.

Gladius  
non est su-  
mendus,  
reconden-  
dus.

Hostibus  
benefaci-  
endum.

Asyla pe-  
riularum

Esa. V. 18.

1. Zelum intempestivum esse fugiendum, quia DEI censuram & poenam communiter incurrit.

2. Auribus recte utendum esse ad verbi DEI, non ad malorum consiliorum auditum, sicut fecit Malchus, qui magis sacerdotem summum, quam Christum Dominum audivit, & dum aures in scelere Domino suo præbuit, ex justo DEI iudicio pñnam in auribus admittere necessum habuit: imò ut Euthymius observat, Domini ipsi hac abscissione moniti sunt: Ablatz dicit, est servø principis sacerdotum auricula, in signum, quod principes sacerdotum pñ invidia auditu privati essent, ne audirent, & intelligerent, quæ de ipso erant, prophetias. Membris igitur corporis aliis quoq; recte utendum.

3. Gladium non facile sumendum esse, quia qui gladium sumit, gladio perire dicuntur, non ad offensionem, sed ad defensionem eo utendum.

4. Gladius in tumultu potius in vaginam est converendum, quam eximendus, quia tutius ex Christi iudicio reconditur, quam extrahitur.

5. Etiam in mediis periculis & persecutionibus ad exemplum Christi, servum nequam sanantis, hostibus & persecutoribus esse beneficiendum.

6. Divinum auxilium, & angelorum subsidium, in omnibus necessitatibus piis precibus expetendum esse, sicut ipse Christus fecit.

## HOMILIA XII. PASSIONALIS

Ex Matt. XXVI 55.56.

## DE EPANORTHOTICA CHRISTI AD TURBAM CONCIONE.

**P**Ræl. ex Esa. V. 18. ubi Væ dicit Dominus omnibus illis, qui trahunt iniquitatem in funibus vanitatis, & quasi funibus plausi peccatum, Luth. Wehe denen/die sich zusamnen koppeln mit

## HOMILIÆ PASSIONALES.

mit losen Stricken unrecht zu thun / und mit Wagenseilen zu  
fündigen: si verè dicitur hoc de peccatoribus ullis , idem opti-  
mo jure nunc usurpatur de malitiosa cōjurationis liga, qva sum-  
mi Sacerdotes, Pharisæi, Legisperiti, & populi Seniores, in mortem  
Christi conjuraverant, & integrum militum cohortem cum o-  
mnibus suis ministris ad capiendum ablegaverant : propterea  
graviter Christus, captivus licet, in eos invehitur, & vivis iplo-  
rum maleficium coloribus Epanorthotica quadam Concione de-  
scribit apud Matthæum v.35.56. quam Epanorthoticam Christi  
captivi concionem modo considerabimus.

*Exord.* Salvator noster homines quidem malos in genere, Job. III, 26  
suos tamen futuros lictores in specie, vaticinico spiritu gravi ser-  
mone describit Job. III, 20. Omnis, qui male agit, odit lucem, &  
non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus. His non tam  
peccatores infirmos, quam homines sceleratos, facinorosos, & Propria  
graviorib⁹ criminib⁹ pollutos describit, qui mala scientes & vo-scelerato-  
lentes operantur, & in hoc malorum scelerum studio pertinaces rum.  
perseverant. Tria verò hic malis & sceleratis operariis prædi-  
cata, vel propria tribuit (1) *Lucis odium, omnis qui male agit, odit Lucis o-*  
*lucem, nimis non tantum Deum ipsum, veram lucem, odit, nec diu-*  
nū cum ipso communionem habet I. Job. I, 4. II. Cor. VI. 14.  
Job. I. 4. 5. 9. 10. 11. c. III. 19. neq; tantum honorum operum lucem fu-  
git, siquidem per opera bona lucet lux nostra coram Deo, cum  
primis autem coram hominibus Matth. V, 16. Job. III, 21. sed e-  
tiam externam & physicam lucem odit, qvia sol magnus Dei oculus  
detestatur sclera, hominemq; suo splendore turpidinis erga  
seipsum, ingratitudinis erga Deum, & detestandi abusus erga  
creaturas ipsum convincit, ut proinde homines scelerati & faci-  
norosi lucem fugiant. (2) *Tenebrarum studium, & non venit ad Tenebrae-*  
*lucem: jam qvicunq; non venit ad lucem, manet in tenebris, pro- rūm studi-*  
cula Deo, apud quem nullæ prorsus tenebrae I. Job. I, 5. procul um-  
à luce vera, Christo Job. I, 4. cui nulla cum tenebris communio  
II. Cor. VI, 14, procul ab angelis bonis , qui sunt filij lucis Job.  
XXXIX, 7, & flammæ ignitæ, vel splendentes Psal. CIV, 4. manent

M

in te-

## HOMILIÆ PASSIONALES.

*Utriusq;  
scopum.*

In tenebris, qvia sub principe tenebrarum militant *Ephes.* VI, 12, sub potestate tenebrarum *Coloſſ.* I, 13. subditos agunt, qvia operibus tenebrarum student *Ephes.* V, 11. *Rom.* XIII, 12. & in tenebris etiam externis se latere posse judicant, Deumq; neq; videare, neq; curare scelera sua cogitant. Sed tenebræ peccatores non possunt occultare, cum apud Deum tenebræ propriè loquendo, non sint tenebræ teste *Davide Psal.* CXXXIX, u. 12. (3) *Utriusq; scopum, ut non arguantur opera ejus.* Nam falso sibi perswasum habent homines scelerati, si modo procul ab hominibus, vel etiam in tenebris, sua scelera committant, nec à Deo, nec ab angelis, nec ab hominibus ista scelera vel in examen, vel in censuram vocari. Sed frustra cogitant, qvi talia cogitant. In tenebris commissa nonnunquam scelera, non semper homines fugiunt, sed Deum & Angelos latere minimè possunt. Hinc *Nathan Davidi*, nomine Dei pronunciavit II. *Sam.* XII, 12. *Tu in tenebris fecisti, & occulte scelera commisisti, ego talia super te in sole permittam.* Tales qvoq; fuerunt *Summi Sacerdotes, Phariſai, Legisperiti, Populiq; Seniores*, atrocissimi & sceleratissimi Christi persecutores cum omni suo sodalitio & satellitio : illi clam de Christo interficiendo cogitabant, clam, vel in tenebris de morte Christi consultabant, in tenebris suos stratiotas ablegabant, & ut Christus in tenebris sine tumultu caperetur, solidam operam dabant. Unde h.l. Christus grayissima concione iporum emissarios reprehendit, eosq; debita correctione à proposito, à maleficio, & scelerato erga suos superiores obsequio revocare satagit, ut Deo magis, qvam hominibus obedirent *Aet.* V 29. Ex qvo liqvet, Christum etiam in media passione sua nihil in se desiderari fecisse, sed benevolam suam curam, etiam erga sceleratos homines & qvosvis peccatores, suosq; lictores exercuisse. *Judas*, proditorum sceleratissimum, ob impudentiam & malitiam corrigebat, inquietus v. 50. *Amice, ad quid venisti?* ut scelere jam commisso vel nunc ad se rediret, de gravissimo peccato non tantum doloreret, sed etiam veram ageret pœnitentiam, ne post hæc æternum periret. *Petrum*, audacem

*luum*



## HOMILIAE PASSIONALES.

suum defensorem, ab arrogantia & audacia carnali revocat de-  
bita correctione v.52 seqq. nunc ad ipsos hostes apertissimos  
convertitur ; & gravissima concione, vel informatione peccata,  
qvæ sic adversus innocentem committebant, ipsis indicare , &  
à sceleratissimo proposito eos revocare satagit. De hac Epa. De Epa.  
northotica Christi Salvatoris ad turbam Concione Matthæus pro northoti-  
ponit (I) Epanorthotica Christi concionis Textum v.55. (II) Epanor- ca Christi  
thotica Christi concionisfundamentum v.56. (III) Epanorthotica concione.  
Christi concionis eventum v.56.

Tract. Qvod attinet I. Epanorthotica Christi Concionis I. Epanora  
Textum, is v.55. & qvidem non sine causa primo loco proponi- thotice  
tar , sicut aliàs in concionibus primum omnium textum notare Concionis  
solemus atq; debemus. Indicatur autem v.55. (1) Textus Epanor. Textus.  
thotici circumstantia. In illa hora dixit Jesus turbis, qvibus ver- i. Textus  
bis exponitur, partim circumstantia temporis , qvod eadem hora, Epanor-  
cum nimirum esset captus, cum Malchum sanasset, & potentiam thotici  
vere divinam, omnium & singulorum in terram dejectione , i circum-  
temq; miraculosi servi sanatione, ad oculum ipsis probasset, hanc stantia.  
correctionem adjecerit, ut non tantum miraculosis factis , sed  
etiam efficacissimis salutis verbis eos ab instituto revocaret: par-  
tim Circumstantia Concionatoris, qvod Jesus, jam captivus, in ma-  
nus ipsis traditus, vinculis etiam ligatus, ita hostes suos ob-  
jurgaverit, ne statuerent, ipsum vel Judæ proditione, vel Princi-  
palium ipsis calliditate, aut etiam captivantum celeritate,  
vel aliis mediis externis, sed potius divino consilio, propriaq;e  
voluntate captum esse. Hæc παρῆσθαι multa nos admonet,  
cum primis illud, qvod Christus in mediis perlectionibus offi-  
cio suo propheticus non defuerit, sed in horto, primo statim in  
incursu, turbis, in synedrio Sacerdotibus, in Prætorio Pilato, in  
cruce latroni, voluntatem Patris annunciarit : partim Circum-  
stantia auditoris, qvod τοῖς ὄχλοις, turbis, hæc dixerit, nihil mi-  
nus timens, qvam ipsis multitudinem, tyrannidem & initia-  
lem furorem. (2) Textus Epanorthotici Materia : tanquam ad 2. Textus  
latronem existis cum gladiis & fustibus, comprehendere me : sic ar- Epanor-  
guit thotici

B 2

Materia.

## HOMILIÆ PASSIONALES.

*§. Textus  
Epanor-  
thotici  
causa.*

guit ipsorum nocturnum egressū, & tenebris consentaneum cōnatum: arguit ipsorum scopum, quod ad ipsum capiendum sint egressi, non aliter, ac si sceleratissimum latronem capere contedissent, cum tamen hactenus benefaciendo nihil cessaverit, mortuos resuscitaverit, vivos sanaverit, & ab omnibus morborum generibus liberarit: arguit ipsorum apparitum, quod gladiis & fustibus armati sint egressi, quibus nihil proficere potuissent, sicut unius verbi pulsus & ictus hoc declaravisset, nisi tempus & hora passionis jam adfuisset; ipseq; sua sponte pro suis oīibus animam ponere constituisset. (3) *Textus Epanorthotici causa:* Quotidie apud vos sedebam in templo, & me non tenuistis: q. d. non opus fuisse egressu, vel nocturna inquisitione, neq; discipuli seductione, ut accepta pecunia me proderet, qvia quotidie in medio vestrum sedi, neq; tanto apparatus opus fuisse armorum, qvia protus intermis in templo docui: sed detestandum hoc scelus! Me nihil mali committentem; nihil contra pietatem, vel honestatem, vel proximi charitatem admittentem, sed viam salutis & vitæ vobis annunciantem, penitus innocentem; sic captivum prehendere voluistis.

*II. Epanor-* II. *Epanorthoticae Concionis fundamentum v. 56.* prioribus *thoticae* verbis introducitur: *Hoc autem totum factum est, ut adimplerentur scripturæ Prophetarum.* Ex his verbis triplex desumitur fundamen-  
tum hujus *Epanorthoticae concionis* (1) *Divina definitio*, qvia  
mentum. Christus non ex ipsorum cupiditate, vel calliditate captus est;  
2. *Divina* sed ex divino consilio *Act. II. 23. IV. 48.* quo Filius Dei ab æternis  
*definitio.* se Deo Patri pro redēctione humani generis obtulit. Hoc  
cum ignorarent, & cognoscere Judæi nollent ex prophetis, Christus  
eos hoc loco mediis in catenis etiam informate voluit, ut ea  
orum sceleratissimum scopum, secundum scripturas objurgaret;  
3. *Prophetarum prædictio*, qvia de hac passione Prophetæ omnes  
testati sunt *Luc. XIII. 31. XXIV. 27. Act. III. 18. XXIII. Et c.* Hos au-  
dīcio. tem tum temporis negligebant omnes Judæi, Sacerdotes & Laici,  
propterea Christus eos ad Prophetas revocare contendebat,  
ut hæc Messiae passiones, à prophetis prædictas, disserent; pia-  
fici-



## HOMILIÆ PASSIONALÆS.

Scientia cognoscerent, & firma fide prehenderent. (3) Scriptu-  
ræ impletio, quia propterea factum id est, ut implerentur scriptu-  
ræ, siquidem, teste Christo, haec omnia sic oportebat fieri, & quæ tio.  
fuerunt à prophetis predicta, pariter oportebat impleri Luc. xix,  
31. quia scripturæ verbum Dei verbum, omnia vero Dei verba  
sunt veritas ipsa Psalm. XXXIII. 4.

III. Epanorthotice Christi concionis Eventum, itidem v. 50. ex. III. Epa-  
ponit: Tunc discipuli omnes, ev. relicto, fugerunt. Misera hæc di- nortotice  
scipulorum conditio, quæ secuta hanc Epanorthoticam Christi Concionis  
Concionem: Christus haec concione turbas informare, & à scan- Eventum.  
dalis avocare studebat, sed statim post eam omnes discipuli  
scandalum admittabant, & cum scandalo fugiebant. Triplex  
autem hic eventus notatur (1) Apostolorum offensio, Tunc, nimi- Apostolo-  
rum, cum viderent Christum captum, cum audirent Christum rum offen-  
passurum & moriturum, cum nullum amplius miraculum extet-  
sio. His oculis animadverterent, & Christum sine ullo subsidio, vel  
evasionis spe, medios inter hostes conspicerent, ibi non sunt ad-  
monitionis Christi recordati, sed gravissime sunt offensi. (2)  
Discipulorum desertio, quia reliquerunt eum: antea promiserunt Apostolo-  
aureos montes, & contenderunt, se cum Domino mortem ipsam rum deser-  
adituros, nunc ipsum in primo statim passionis ingressu dese-  
tio, runt. Talia videlicet sunt humanæ mentis promissa. Petrus  
etiam gloriosus jam nullibi comparet, nec Dominum amplius  
defendere studet, multo minus cum ipso mortem oppetere co-  
gitat. (3) Discipulorum evasio, quia prorsus fugerunt: verbo Apostolo-  
Christi omnipotente salvum conductum acceperant, teste Jo. rum eva-  
sione XIII, 8. q. adeoq; nullo timore prorsus ipsis opus fuisset: sio.  
Sed præ summa consternatione, vel metu, illi confidere nolunt,  
hinc fuga sibi consulunt, & nec Domini verbis, nec aliis mediis  
externis securitatem sui committere nolunt.

## Notæ Didacticæ.

- i. Christum non tantum esse Doctorem veritatis, & du-  
tem pietatis, sed etiam censorem falsitatis & impietatis; nam in hor-

## HOMILIAE PASSIONALES.

to reprehendit (1) vitium prodigionis in Iuda v. 50. (2) vitium præsumptionis in Petro v. 52. (3) vitium conjurationis in turbis v. 55.

2. Catenam virtutum hic in Christo notare videtur Origenes in h.l. tract. 35. (1) Patientiam (2) beneficentiam (3) benevolentiam: Sic enim scribit: *Vide, postquam dixit ad Petrum: Reconde gladium tuum in thecam suam, quod est PATIENTIA; postquam auriculam restituit amputatam*, sicut alter dicit Evangelista, quod *Et summae benignitatis indicium fuerat pariter, Et divinae virtutis: tunc ista verba locutus est, ut fidelia viderentur ex precedentibus verbis Et factis, ut Et si præterita beneficia non recordantur, vel præsentia recognoscant.* Sic in Christo virtus ex virtute ducitur.

3. Horam malitiosæ transgressionis esse horam fructuosæ correptionis, vel correctionis, qvia facilius peccata corriguntur in ingressu, qvam in progressu; & peccatores evidentius peccati convincuntur in ipso actu, qvam post facinus commissum, cum homini qvæsi cōnatum sit, peccata vel negare, vel occultare, vel excusare, vel in alios volutare. Sic h.l. Christo hora captivations, hora Epanorthoticæ reprehensionis.

4. Christus quasi latro fuit habitus in passione, qvia juxta Esa. Ll II. 12. cum sceleratis reputatus est, & sic quasi latro habitus (1) in captivitate, prout h.l. testatur (2) in condemnatione, qvia cum latronibus est condemnatus (3) in crucifixione, qvia cum latronibus est crucifixus.

5. Christus singularem in hac Epanorthotica concione proponenda prudentiam adhibuit, qvia primum Judam, postea Petrum, deniq; turbam corripuit, imo sanatione miraculosa servi sibi viam ad eam paravit. Merito vero turbæ fuerunt redarguendæ (1) qvia ut Chrysostomus dicit, talia fecerat, qvæ sufficiabant ad correctionem eorum, resupino eos projecerat, auriculam sanavit, & à præsentib; & futuris apparere faciens suam virtutem, & ostendens, quod non erat eorum uirtutis tenere eum. (2) qvia stultum erat, ut dicit Hieronymus, eum inermem cum

## HOMILIÆ PASSIONALES.

cum gladiis & fustibus quærere, qui ultiro eorum se tradebat manibus, & in nocte quasi lactitatem, & ab eorum oculis declinantem, per proditorem investigare, qui quotidie in templo doceat. Sed ideo adversum eum in tenebris congregantur, quia potestas ipsorum in tenebris erat. (3) quia inanis erat eorum potestas & vanum suæ machinationis consilium: nam quotidie patens apparebat, docens in templo, & tamen eum tenere non valuerunt, quia noluit, nec modo possent, nisi vellet. Non ergo virtutis eorum, sed divinæ voluntatis fuit. Quasi eos Dominus redarguat secundum Chrysost., dicens: *Docentem me non tenuisti, quando silui supervenisti. In templo enim nullus me detinuit.* Nunc autem præter horam & media nocte venisti cum gladiis & lignis. Quid his opus erat armis in eum, qui vobis cum erat semper? Hinc ostendens, quoniam nisi voluntariè permisisset, nequaquam tunc valuerint. Nec enim eum, qui in manibus erat, valuerunt detinere, ex medio eum cum accepissent, superaverunt, nec tunc valuerint, nisi voluerint.

6. Mores latronum etiam quodammodo hic describuntur (1) noctu exire (2) cum gladiis & fustibus venire (3) innocentem comprehendere.

7. Fidelis Doctoris munus esse, quotidie populo doctrinam in templo proponere, eumque in via salutis informare.

8. Fidelium ministrorum merces est ingratitudo & persecutio, quemadmodum h. l. docet Christi Salvatoris exemplum, qui quotidie sedet in templo, & Judæos informavit, & nunquam mercedem laboris retulit.

9. In Discipulorum fuga cernimus exemplum (1) humanae ignominiae, quia salvum conductum à Christo audiverant, & tamen eum non intelligebant. (2) humanae impotentiae, quia nec Christi verbis fidem habere, nec hostibus Christi resistere, nec coram eis amplius consistere poterant. (3) humanae inconstitiae; nam antea multis coram Christo gloriati fuerant de sua constantia, nunc autem omnes & singuli fugiebant.

*Note*

## HOMILIÆ PASSIONALES.

### Notæ Elencticæ.

1. *Tempora & horas* etiam rerum contingentium à Deo præcognosci contra Socinianos, qui negant futura contingentia objectum esse omniscientiæ divinæ.

2. Solum Christum captum, atq; passum esse, & sic etiam solum pro nobis satisfecisse, cum omnes discipuli fugerint, quod contra Papistas observandum, qui sanctos, & cum primis Mariam Virginem in societatem passionis adsumunt.

3. Non tantum *vicia morum*, sed etiam *errores doctrinae* reprehensionem merentur, immo juxta Christi praxim doctrinæ veritas primum proponenda, postea vitæ mores pravi sunt redargendi, quia Christus testatur, se quotidie docuisse in templo, nunc autem gravissimam Epanorthosin instituit, quod contra Calvinianos & Syncretistas urgendum, qui nunc magis reprehensionem malorum morum, quam gravissimorum errorum necessariam esse contendunt.

### Notæ Epanorthoticæ.

1. *Opera tenebrarum* esse fugienda, quia Christus graviter eadem h.l. reprehendit.

2. Homines in Ecclesia peccantes, quam extra Ecclesiam prævaricantes, magis debitibus epanorthosibus sunt corrigendi, sicut Christus h.l. non tam milites Romanos, quam ipsos Judæos, eorumq; primates reprehendit, quia non milites, sed Judæos in templo quotidie suis concionibus erudierat, non tam milites, quam Judæos, ex scriptura Mosis, & Prophetarum de vero Messia informare voluerat.

3. *Immanis est culpa*, sævire in eum, quem Doctorem habuimus, & eum perdere, qui vitæ & autor, vel ductor, extitit.

4. *Horrenda est injuria, qua Judæi Christum afficiebant, qui doctrinam salutis ab eodem percepserant, & per miracula plurima ab eodem beneficia acceperant.*

5. *Damnanda est ingratitudo, qua Christum Regem & Messiam, prophetam magnum atq; Doctorem sunt persecuti Judæi.*

05 A 297




KD17

BRU



**Farbkarte #13**



71

*I. N. J.*  
**DISPUTATIO THEOLOGICA PASSIONALIS  
IN HISTORIAM PASSIONIS DOMI-  
NICA SECUNDUN EVANGELISTAM**  
**M A T T H Æ U M,**  
EX CAP. XXVI. vers. 51-56.  
*Quam*  
**S U B P RÆSIDIO**  
**V I R I**  
*Maximè Reverendi, Amplissimi atq; Excellentissimi,*  
**D N . J O H A N N I S S e u t s c h m a t t i /**  
**S . S . Theol. Doct. & P . P . longè Cele-  
berrimi, ut & Alumnorum Electoralium**  
**Ephori gravissimi,**  
**D N I . P RÆCEPTORIS, PATRONI, ET PROMO-  
TORIS sui, jugi pietatis, observantiae, atq; obseqvii**  
*cultu æternùm venerandi,*  
*Publico Eruditorum Examini sistit*  
**M . B A L T H A S A R K RÆTSHMAR,**  
**Zvencâ-Misn: Sereniss. Elect. Sax. alumnus.**  
*Prid. Nonas Aprilis in Auditorio Majori.*  
**W I T T E B E R G Æ**  
**T y p i s J O H A N N I S B O R C K A R D I , A c a d . T y p o g r .**  
*Anno 1669.*